

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Georg Dorsche

**Joh. Georg. Dorschei S.S. Theologiae D. Discussio Explicationis Hugonis Groti[i]
Circa locum Actor. XV. v. 20. De Sanguine & Suffocato**

Rostochii, 1669

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729960498>

Druck Freier  Zugang



76.

Fa-1092 (76)

1679

I. N. f.
JOH. GEORG. DORSCHEI
S.S. Theologiæ D.

DISCUSSIONE EXPLICATIONIS
HUGONIS GROTI


circa locum Actor. XV. v. 20.

De
SANGVINE
&
SUFFOCATO,

Quam
ē MS. excerpt
& edidit
JOHANNES GEORG. DORSCHEUS,
FILIUS.

ROSTOCHI,
ANNO DOMINI CLXIX.

XXXII.



1681

708 57.

ΣΥΝ ΘΕΩ!

Hugo Grotius, explicaturus
ex Actibus locum de Sangvine & Suf-
focato, asserit

I.

Seteres Christianos credidisse, Jacobum propterea voluisse hos ex gentibus vocatos abstinere à Sangvine, quod licet Mosis præceptis, quæ Israelitis data erant, non tenerentur, neque lege circumcisionis, quæ solos Abrahami obstringebat posteros, libertatem non essent ab iis, quæ Adamo & Noë Deus præceperat, ad quæ addidit quædam Christus, nihil autem demsit. Probat Grotius hoc. ex Tertulliano de Monogamia. cum inquit: Adeò in Christo omnia revocantur ad initium, ut & fides reversa sit à circumcisione ad integratatem carnis illius, sicut ab initio fuit: & libertas ciborum, & Sangvinis solius abstinentia, sicut ab initio fuit: & matrimonii individualitas, sicut ab initio fuit: & repudii cohibitio, quod ab initio non fuit, & postremo totus homo in Paradisum revocatur, ubi ab initio fuit. 2. Ex eod. cum libro de Jejun. ait: Eque post diluvium in reformatione ge-

A 2

neris

eneris humani suffecisse unam interim legem à sangvi-
ne abstinendi, permisso usu ceterorum. 3. Ex Leone
Imp. qui vetuit Sangvinem edi intestinis velut tunicis
infarcitum, ut pote tum veteris, tum nova gratiæ tempore
rem habitat nefarium. 4. Qvia præcepti illius non
nimis superstitione observatio facilis est. 5. Qvia causas
honestas habet. Solere enim qui sangvine pro alimento
utuntur efferrari, quod Americani doceant. Monere
etiam, à vindicta abstinentium, cum qui se vindicat,
sangvine pasci dicatur, & juxta Origenem Dæmones
sangvine pasci crederentur. Afferit

II. Christianos veteres non existimasse, præceptum
de abstinentia Sangvinis & Suffocati datum ex ea una
causa, ut Judæorum offensa vitaretur. Probat hoc i.
ratione. Qvia si id existimassent, non observassent id
præceptum cum certo vitæ periculo, etiam ubi non
aderant Judæi. At hoc eos fecisse constat. Nam Biblis
martyrium subitura, apud Eusebium Hisp. Eccles. V. I.
Quomodo, inquit, infantibus vescerentur illi, qui
bus ne irrationalium animalium Sangvine vesci licet.
Testis & Tertullianus in Apolog. cap. IX. cum ait: Eru-
bescat error vester Christianis, qui ne animalium
quidem sanguinem in epulis esculentis habemus: qui
propterea quoque suffocatis & morticinis abstine-
mus, ne quo sangvine contaminemur, vel intra
viscera sepulto. Denique inter tentamenta Christianorū
botulos etiam crux distentos admoveatis,
certissimi scilicet, illicitum esse penes illos, per quod
exorbitare eos vultis. Porro quale est, ut quos
sanguinem pecoris horrere confiditis, humano in-
bire

1623
n. 859.

biare creditis. Octavius apud Minutum: Tantum ab
humano sanguine cavemus, ut nec edulium pecorum
in cibis sanguinem noverimus. 2. Testimoniis Canon.
62. Apost. Εἰ τις ὀπίσκοπος ἢ πρεσβύτερος, ἢ Διάκονος ἢ
ἄλλος ἐκ καταλόγου ἐκ ιεροῦ Φάγη κέχεται αἷμαν ψυχῆς αὐτοῦ,
ἢ θεράπων ἢ θυντικόν, καθαρεῖται. Τούτο γάρ οὐκ ἀπε-
πει. Εἰ δὲ λαϊκὸς ἐη, αφορεῖται. Si quis Episcopus, vel
Presbyter, vel Diaconus, vel omnino ex Sacerdotali
catalogo comedere carnes in sanguine animæ ipso-
rum, vel quid à fera captum vel morticinum, depo-
natur, hoc enim lex prohibuit. Si autem Laicus sit,
segregateur. Synodi Gangerensis, Can. 2. ex transl. Gen-
tiani Herveti. Si quis eum, qui carnem, præter
Sanguinem & idolothyrum & suffocatum, cum pie-
tate & fide comedit, condemnat, tanquam eo, quod
ca vescatur, spem non habeat, sit anathema.

ASSERTIO I.

Multa falsa aut dubia postulata habet. 1. Dubium est Resp.
Man Synodus Hierosolymitana in ista dispositione de
abstinentia certarum rerum ad præcepta filiorum Nohæ
Gentes ad Christianam Religionem transgressas obliga-
revolverit. Impugnat istam sententiam copiosè Janus
Seldenus in Lib. 7. de jure Naturali & Gentium &c. Cap. 12. in-
primis qvia leges filiis Nohæ datæ, si observabantur à
Gentibus, faciebant tantum Proselytum porta, qui exte-
rius cum Judæis conversari poterat, non autem Prosely-
tum justitiae, qui in interiori communione fuit, de qua
interiori conjunctione Gentium & Judæorum creden-
tium qvæstio in Synodo Hierosolymitana agitabatur.

A 3

Sed

Sed nunc de ea nihil attinet dicere. Grotius ipse fatetur, inter præcepta Adamo & Nohæ data Judæos non posuisse interdictum scortandi. Non tamen licebat, qvod sapientissimi, ut Grotius loquitur, inter Gentes putarunt, exinde colligere, meretrices qvidem turpiter facere, qvod meretrices essent, pœnamq; esse in ipsa professione flagitii, non tamen peccare, qui fœminis istis venalibus uterentur. Nam morali lege incolum fuit istud interdictum. Non autem nisi successivè & in aliqvibus documentis tota lex moralis repetita fuit ante diluvium, aut Mosen. Mansit interim mentibus insculpta, in primis Adami & Noachi.

2. Dubium est, an id, qvod de præceptis filiis Nohæ datis ex Rabbinis traditur, se omnino ita habeat? Certè Scriptura de eo nihil habet. Et Adamo ac Noacho plura præcepta fuisse, qvam istis traditis continetur, satis manifestum est.

3. Dubium est an omnia Adamo & Noacho præcepta perpetuò gentes obligaverint? Fuit sanè præceptum Adamo datum de sacrificando & ita representando semen mulieris demum sacrificio suo contritum caput serpentis. Nonnulli qvidem Pontifici putant ex solius rationis judicio sacrificiorum cultum institutum, & ipsam naturalem rationem obligare hominem ad sacrificandum. Sed istum errorem impugnavi in *Mysaria Myſſe*, qvam ante XXX. annos Jesuitæ Molsheimensi Herbero opposui c. 2. Certè cultus DEI à voluntate & consevter revelatione DEI dependet. Alias venit nomine Ἱελονομίας, Col. 2. 23. Selbsterwehlten Gottessdiens̄t. Et Abel fide obtulit Sacrificium melius, qvam Cain. Hebr. 11. 4. Si fide, ergo ex verbo DEI revelantis, Rom. 10. 17. At istud non obligavit ultra tempus oblationis Christi, licet Sacrificiorum oblatio ex more Ju-daco

286a. 1685

daicd aliquandiu post ascensionem Christi tolerata fuit.
Non igitur, qvod ante Mosen Adamo & Noachum
præceptum est, omnes homines semperque obligat ex
eo capite, nisi aliunde obligationis ostendatur ratio.

4. Falsum autem est & ex Socinianismo haustum,
qvod dicitur, Christum nil ademisse præceptis Adamo
& Noacho datis, addidisse autem aliqua. Prius ex dubio
3. patet. Etiam si enim expressè ipse non dixerit, sacri-
ficia omittenda esse, reipsa tamen facto sustulit è me-
dio, quando in se illa velut umbras terminari docuit,
cum consummata esse omnia clamavit. Et Apostoli
satis clare indicarunt, qvid de Sacrificiis habendum
esset: Addidisse autem Christum aliqua in primis mo-
ralia præcepta præceptis Adamo & Nohæ datis, qvod
posteriorus asserit Grotius, & Socini commentum est,
nullo apice sacr. literarum probari potest. Explicavit
Iegem, & ejus recessus contra sinistram antiquitatis in-
terpretationem patefecit Christus Matthæi V. sed hoc
non est addere.

Probationes assertionis invalidæ sunt. 1. Tertul-
lianus librum de Monogamia scripsit, cum jam ad hæresin
Montani prolapsus esset, nec jam amplius filius Eccle-
sæ extisset. Ita Beatus Rhenanus, qui primus opera
Tertulliani ad typographiam adornavit, in Admonitione de
Tertulliani dogmati ad calcem operum adjecta p. 126. in-
quit: Tertullianus in libro de Monogamia perperam
sentit de perpetua virginitate Deiparæ Mariæ, scri-
bens Christum Virginem enixam, semel nupturam
post partum. Unde hunc etiam in testem advoca-
rat Helvidius in libro suo, qvem refellit Hieronymus,
qui calore quidem Disputationis commotior factus
regessisse videtur: De Tertulliano, inquietus, nihil
am-

n^o 62.

amplius dico, quam Ecclesia hominem non fuisse. Sic Rhenanus, qui addit: D. Hieronymi Consilium sequatur, Tertullianum sic interdum esse legendum momentis, quomodo Origenem, Novatum, Arnobium, Apollonium & nonnullos Ecclesiasticos Scriptores Gracos pariter & Latinos, ut bona eorum eligamus, vitemusque contraria. Hactenus ille.

2. Tertullianus isto loco conclusionem improbatam sibi sumsis defendendam; scilicet cum in Montano Spiritus Sanctus omnia, quae ad vitam Christiani hominis pertinent, ad pristinam perfectionem reducere velit, etiam conjugium ad pristinum statum illum reducere voluisse, ut, quotquot Deo placere porrò volunt, à secundis nuptiis abstineant, sicut primus homo unis nuptiis contentus fuit.

Hanc conatur variis tueri fundamentis I. quia Christus in quaestione de repudio ad initium provocavit, dixitque ab initio non ita fuisse Matth. 19. 4.

II. Quia S. Paulus ad Eph. 1. scribit, Deum proposuisse in semetipso ad dispensationem adimptionis temporum ad caput, id est, ad initium reciprocare universa in Christo.

III. Quia Christus propterea se vocat & & ut ostenderet, in se esse initii decursum ad finem & finis recursum ad initium.

IV. Quia & circumcisio carnis mutata & reditum est ad integratem carnis, sicut ab initio fuit.

V. Quia restituta est libertas ciborum, & sola imperata sanguinis abstinentia, sicut ab initio fuit, &c.

In his fundamentis, quædam impertinenter allegantur, & erroneè, ut II. quasi Eph. 1. 10. indicata *avæcōαιωνις*, quam Christus sibi propositam habeat, sit re-vocatio

28.6.3
1687

vocatio omnium in statum, qvalis in paradiſo primi hominis fuit. At hoc non est ἀναφολαιώσας Apostolicum. Hoc enim est, in Christo tanquam Capite recolligere omnia, quæ in cœlis & in terra sunt. Ad Coloss. 1, 20. vocatur ista ἀναφολαιώσις alio nomine διπλανάλαξις reconciliatio, redunitio.

Et III. ubi falsò dicitur, Christum esse & vocatum, qvia in ipso omnia ab initio ad finem & à fine ad initium recurrent. Nam non idèò, sed propter æternitatem Christus & vocatur, sicut & vocatur primus & novissimus, Apoc. 1, 17. Et initium, qvod per & denotatur, est non initium mundi, Gen. 1, 1. sed ipse Christus, Apoc. 1, 8. qvi vocatur ἥχι νόη τέλος.

Et IV. ubi dicitur, qvod fides sit reversa à circumciſione ad integratatem carnis, sicut ab initio fuit. Nam circumciſio carnis fuit medium restaurandi hominis & reducendi ad eam perfectionem, qvam ab initio habuit. Nec mutata est, qvia fideles fuerunt reducendi ad initium restituta integratate carnis, sed qvia per baptismum, non onerosum, uti circumciſio fuit, sed facilimum medium, Deus in Nov. Testam. homines restaurare voluit. Qvadam autem fundamenta non attingunt statum. Dicit Tertullianus, totum hominem revocari in Paradiſum, ubi ab initio fuit. Ergò per reductionem ad initium intelligit statum paradisiacum. Qvod & ex eo intelligi potest, cum, qvod adducit Tertullianus, Christus dicit επ' ἥχης repudium non fuisse. Ubi intelligitur primordialis institutio matrimonii, qvæ in Paradiſo facta est. Sed qvid ad hōc attinet prima ratio? Num, qvia in statu integratatis non fuit metuenda mors alterutrius conjugis, ideo etiam in statu lapsus ex ea causa monogamia ad analogiam status integratatis introducenda est? Qvanta hic occurrit ratio dissimilitudinis.

B

tudinis.

tudinis. Ibi Monogamiæ nulla impedimenta fuerunt, qvia conjuges semper fuissent viuti. In statu integratis longè aliter se res habet. Repugnat locus Röm. 6. cap. v. 3. Præterea, an sanguinis solius abstinentia permisit in universum animantium etiam cibis fuerit ex Paradisiaco instituto, h. e. ab initio, ut Tertullianus loquitur, incertissimum est.

3. Qvod sanguinis abstinentia inter ea recensetur, qvæ in initio Paradisiaco fuerunt, adeoq; perpetua dicitur, falsissimum est & nullo indicio confirmari potest. Initio qvidem introductorum Sacrificiorum sanguinis etiam abstinentiam usitatam & præceptam fuisse, extra dubium ponitur. Firmat id locus Lev. 17, ii. ubi Jehova: *Ego vero destinavi vobis sanguinem in altari ad expiationem faciendam pro animabus vestris.* Et respicit hunc locus Gen. 9, 4. ubi Jehova: *Carnem cum sanguine ipsius ne comeditote, qvia anima ipsius est.* Qui ex hoc respectu omnino interpretandus est, qvia sanguis in altari ad expiationem destinatus est peculiariter. Qvo respectu omnis sanguis ab esu humano interclusus est, qvamdiu illa destinatio durat. Durat autem tantum ad Messiae usque αιωνανχοσιας, Hebr. 9, 21. Qapropter abstinentia à sanguine inter ea, qvæ in initio Paradisiaco fuerunt, recenseri nequit.

4. Qvod Tertullianus libro de Jejunio adversus Psychicos scribit: *Post diluvium in reformatione generis humani suffecisse unam interim legem à sanguine abstinendi, permisso usu cæterorum:* Partim falso dicitur, partim nostro proposito non adversatur. Proponamus integra Tertulliani Verba: *Cur non statim Deus constituit aliquam vietus castigationem, qvin imo*

2865. 1689

imò & auxit permissionem. Nam in primordio quidem herbidum solummodo & arboreum homini pabulum addixerat. Ecce dedi vobis omne semen fermentivum, seminans semen quod est super terram, & omne lignum, quod habet in semetipso fructum seminis fermentivi, erit vobis in escam. Postea vero ad Noe enumerata subjectione omnium bestiarum terrae & volatilium cœli, & moventium in terra, & piscium maris, & omnis viventis: Erunt, inquit, vobis in escam, velut olera fœni dedi vobis universa. Verum carnem in sangvine animæ sua non edetis. Nam hoc ipso quod eam solam carnem esai eximit, cuius anima per sanguinem effunditur, omnis reliqua carnis usum concessisse manifestum est. Ad hæc respondetur, non competitse onerari hominem aliqua adhuc abstinentia lege, qui cum maximè tam levem interdictionem unius scilicet pomi tolerare non potuit; remissum illum itaque libertate ipsa corroborandum. Æque post diluvium in reformatione generis humani suffecisse unam interim legem à sangvine abstinenti permisso usu ceterorum, &c. Sic Tertullianus. Atqui non una lex, etiam supra immutabilem legem naturæ, quæ moralis est, posita fuit post lapsum & diluvium. Mansit enim lex mundorum & immundorum animalium etiam post diluvium, quæ tamen postea abolita est, nisi quatenus ipsa ratio naturalis à nonnullis animantibus abhorrendum dictitavit. Mansit lex de Sacrificiis, cui illico è diluvio egressus Noë morem gesit. Manserunt alia præcepta. Illud autem ad-

B 2

huc

huc controversum est, an ante diluvium ab esu animatum abstinuerint homines. Sed, qvicqvid sit de hoc, in quo jus ab usu distingvi forsan potuit, non probatur exinde, abstinentiam à sanguine mandari lege per tempora etiam Novi Test. duratura.

5. Qvod III. ratio Grotii ex autoritate Leonis Imperatoris habet, non ex autoritate, sed ex fundamento decidendum est. Videamus Novellam 58. Leonis, qva Styliano Illustrissimo sacrorum officiorum Magistro rescribit in hanc sententiam. *Simul olim Legislatori Moysi sanguine non esse vescendum mandavit Deus: simul ab ejusmodi cibo abstineri debere à præconibus gratiæ est constitutum.* Et quanquam tum veteris tum novæ gratiæ tempore illa res viles habita fit & nefaria: eò tamen contumacie, imò vecordiæ homines processere, ut neutri legi aurem præstent morigerantur. At contra alii lucri, alii gulæ causa summa cum impudentia mandatum contemnunt, in escamq; qua vesci vetitum est, sanguinem convertunt. Perlatum enim ad aures nostras est, quod intestinis tanquam tunicis illum infarctum, velut consuetum aliquem cibum ventri præbeant. Quod tolerari non debere Imperatoria nostra majestas rata, neque tam impio soli gulæ inhiantium hominum invento, nunc Præcepta divina, nunc Reipubl. nostræ honestatem dedecore affici sustinens, jubet, ne quis id scelus, neg. ad suum usum, neg. ut emtores detestando cibo contaminentur, ullo modo exercere audeat. Ac sciat quicunq; debinc divinum mandatum contemnere, sanguinemq;

nemq;

n^o 867, 691

nemq; in cibum convertere, (sive vendat, sive emat,) deprehensu fuerit, se bonorum publicationi subjiciendam, & ubi acerbum in modum flagris casus ac cute tenus fœdè tonsus erit, perpetuo patriæ exilio multandum esse. Quo quidem in judicio neq; civitatum Magistratus citra criminationem dimittendos censemus: sed ut & ipsi (neq; enim si illi convenienter alacritate Magistratum gesissent, id scelus commissum esset) quod negligenter socorditerq; subditis præfuerint, decem librarum auri multam sustineant. Hæc est Novella ista contra elum sangvinis constitutio, ad qvam notamus 1. Autorem ejus esse Leonem VI. cognomento Φρᾱ Basilii Filium, qui trecentis sexaginta annis post Justinianum fuit, coætaneus Arnulphi Romanorum Imperat. Uti ex novellis ejus constitutinibus apparet, passim traducit & fugillat leges Imperatorum anteriorum. Nullam autem autoritatem mœruerunt in Imperio aut Ecclesia. Conf. Cujacium Observ.

Lib. XVII, 31.

Notamus 2: quod videri possit Imperatorem legem tulisse in eum finem, ut tanto lubentius Judæi ad consuetudinem cum Christianis transirent. Impensè hoc egit Imperator, ut Judæi secundum Christianismi ritus viverent. Qva de re & novellam qvinqvagesimam qvintam ad Stylianum direxit. Quod ut promptius efficerent Judæi, Christianis elum sangvinis interdicere voluit.

Notamus 3: qvia Imperator ex sinistro intellectu dispositionis sive Mosaicæ, sive Apostolicæ legem de abstinentia sangvinis tulit, nec allegavit consuetudinem universalis Ecclesiæ in octavum usque ad seculum absti-

B 3

nentiam

2868.

mentiam sanguinis comprobantem, hoc ipso vim legi ademptam esse in propatulo est.

6. Qvod IV. ratio Grotii habet de facilitate abstinentiæ non nimis superstitione à sangvine, nullius est momenti. Primum enim non seqvitur, hujus & illius observatio facilis est, ergo sub opinione legis in conscientia obligantis suscipienda est. Sic daretur regressus ad multarum ceremoniarum Vet. Testamenti observationem, ut parum difficultatis in se habentem. Deinde dum facilitatem non nimis superstitione observationi abstinentiæ à sangvine tribuit Grotius, difficultatem prodit. Quousque enim licebit progredi quæso, in abstinentia à sanguinis esu, ut sit non nimis superstitione? Hic certè mensuram dare difficile est. Si absolute sanguinis esus est vetitus lege perpetua, etiam tantillum edere vetitum est. Non in quantitate, sed in substantia sanguinis interdictum fundatum est. Denique quid est, qvod Grotius dicit de observatione non nimis superstitione? Licitane erit observatio aliqualiter superstitione, & vetita tantum non nimis superstitione. Athoc minus piè dictum est.

7. Qvod V. ratio Grotii habet de causis honestis illius observationis, non urget. Nemo sanè hastenus effterior factus fuit, qvia sanguinem illo modo, qui usitatus est, paratum comedit. Americani crudo sanguine fruebantur. Vindictæ cupidus, oculos, non ventrem crudo sanguine pascit. Et quid ad suadendam abstinentiam sanguinis attinet Origenis error, dæmones sanguine pasci. Potest ne error causam legis dare?

ASSERTIO II.

Qvod Christiani Veteres non existimarent præceptum abstinentiæ sanguinis & suffocati ex una

2869.
1693

una illa causa datum, ut Iudaorum offensa vitaretur.
Non satis liquet. Primum enim non liquet, an omnes
Christiani non existimarent, propter unam solam evi-
tandam offensam Iudæorum à sangvine abstinendum,
sed crediderint, etiam absolutè Deum velle, ut à sangvi-
nis esu abstinerent. Certè hoc probant nullatenus,
qvæ ad duxit Grotius. Deinde non liquet ex adductis,
an semper Christiani taliter non existimarent vetitum
esse sangvinis esum. Fuerint sanè Christiani primo,
secundo, aut etiam tertio seculo post Christum, qvi
etiam ex alia qvapiam causa à sangvinis esu abstinendum
esse existimaverint, non tamen perennis ea fuit Christianorum
opinio, aut sententia. Fuit aliquorum Christianorum
aliquamdiu consuetudo in Oriente & Sabbatum
& diem Dominicam celebrare. Ita Clemens, qvicun-
que sit, *Constitut. Apost. Lib. 7. c. 24.* *Sabbatum igitur &*
diem Dominicam feriari debet, illud quidem in
memoriam creationis, hanc in resurrectionis Christi.
Asterius Episc. *Homil. de repud.* Sabbati & diei Dominicæ
σαββάτῳ vocat καλών. Gregorius Nyssenus dies fratres.
Theodorus Balsamo ait: *A sanctis patribus per omnia*
exæquatum est Sabbatum diei Dominicæ. Eusebius
testatur: *Constantinum Imperatorem Christianos non*
minus in Sabbatum, quam in diem Dominicam va-
dari vetusse. Hinc & jejunium, qvod à die Domini-
nica exclusum est, ut Gangrensis Synodus docet *Can. 18.*
à Sabbato etiam, excepto uno ante Pascha, abesse debuit.
Ita *Canon. 53. Apost. Zonaras* interpretatur. Et testatur
Ignatius Epist. ad Philippens. Si quis die Dominicæ aut
Sabbato jejunaverit, excepto uno ante Pascha, Christi-
cida est. Consentit Tertullianus *hb. de Jejun.* & contra
Mar-

Marcionem IV. Notat hæc Grotius ad Actor. XV, 21. V.
συναγωγῶν. Non tamen omnium Christianorum, nec ubique, nec semper ea fuit consuetudo. Tertio non liquet ex adductis, quod isti Christiani ex præcepto vel divino
 Vet. Testamenti, vel Apostolico Nov. Testam. à sanguine
 abstinuerunt. Biblis apud Eusebium simpliciter ait:
Quomodo infantes comedenter illi, quibus neg, irra-
tionalium sanguine vesci ἐξον ticitum est. Εξον
 etiam potest aliquid esse vel non esse, ex assensu humano
 aut consensu. Sic Acto. 2, 29. cap. 21, 37. cap. 22, 21. Joh.
 18, 31. &c. Tertullianus simpliciter ait: *Ne animalium*
quidem sanguinem in epulis esculentis habemus.
Minut. Nec edulium pecorum in cibis sanguinem no-
 vimus. Quarto denique non liquet, annon vel Judæo-
 rum, vel & Gentilium causa ad ista usque tempora
 alicubi Christiani abstinendum esse censuerint. Fuer-
 rint & ante nativitatem Christi Judæi passim per orbem
 terrarum disseminati, uti ex antiquo monumento
Hispanico Part. I. Theolog. Zach. ostendi, atque adeò etiam
 in Galliis, uti ex monumentis Treviricis constat. Tre-
 virorum enim civitas olim Galliis adscribatur. Biblis
 autem in Galliis passa est martyrium. Nam Eusebius
 illud recitat ex Epistola Lugdunensem & Viennensem
 ad fratres per Asiam & Phrygiam. Fuerunt & Romæ,
 ubi apologeticum edidit Tertullianus, & alibi passim
 post Christi nativitatem. Ipse fatetur Tertullianus, in
Apolog. cum inquit: *Judei quanta deliquerint fiduci patrum inflati, declinantes à disciplina profanum in modum, etsi ipsi non confiterentur, probaret exitus hodiernus ipsorum.* Dispersi, palabundi & cœli
 & soli sui extorris vagantur per orbem, sine homine,

fine

n 87 n, 695

sine Deo rege, quibus nec advenarum jure terram
patriam saltem vestigio salutare conceditur, &c.
Potuit igitur fieri, ut non quod opinarentur Christiani
dispositionem Apostolicam eousque obligare, sed ex
mera libertate & prudentia abstinuerint à sanguinis esu.
Præsertim tempore Apostolis proximo. Certè enim
Biblis, cum sancta martyrum Gallicorum corona, passa
est circa Annum XVII. Antonini Veri Imper. qui est An.
Christi 168. circiter. Et circa An. Chr. 190. Tertullianus
scripsit. Nec multo post Minutius Felix. Potuit inquam
fieri, ut hac libera condescensione in consuetudinem
secum tanto facilius ineundam Christiani Judæos allice-
rent. Potuit autem etiam fieri, ut abstinuerint adhuc
primis istis Christianismi temporibus ab esu sanguinis,
quo tanto magis à gentilium moribus atque institutis
separarentur. Certè sanguinem Gentiles ingurgitare
fuerunt soliti. Tertullianus in Apolog. *De sanguinis,*
inquit, pabulo & ejusmodi tragicis ferculis legite nec-
ubi relatum sit, diffusum brachiis sanguinem, ex
alterutro degustatum nationes quasdam fœderi com-
parasse? Nescio quid & sub Catilina degustatum
est. Ajunt apud quosdam gentiles Scytharum de-
functum quemq; à suis comedи. Longè excorro.
Hodie istis Bellone sacratus sanguis de femore pro-
scisso, & in parvulam exceptis suis datur signatis.
Item illis, qui munere in arena noxiorum jugulato-
rum sanguinem recentem de jugulo decurrentem ex-
ceptum avida siti comitali morbo medentes aufe-
runt. Ubi sunt item illi, qui de arena ferinis obso-

C

niis

1872. quis cœnant? qui de apro, qui de cervo petunt?
Aper ille, quem cruentavit, conculcando detergit,
&c. Conferatur Pentadecadis diss. Theol. mea 10. tb. 25. p. 287.
Nec ab animalium sangvine comedendo abstinuisse gen-
tiles, manifestum. Tertullianus meminit BOTULO-
RUM cruore distentorum, quos inter tentamenta
Christianis admovent, ut eos ad exorbitandum pelli-
cerent. Hinc & Octavius apud Minutium hoc ipsum,
scil. edulum, quo pecorum in cibis sangvis exhibetur,
ut usitatum gentilibus, inusitatum autem Christianis
notare voluit.

At, inquit quispam, Canon Apostolorum 62. ma-
nifeste vetat sangvine vesci, quia lex vetat. Resp. i. Ca-
nones Apostolorum non sunt tantæ autoritatis, ut pro
divino mandato, eoque in omne ævum perpetuando
allegari queant. Solent quidem à Collectoribus Concili-
orum ante omnia Concilia ponî, sed non sunt ejus an-
tiqvitatis & autoritatis. Habentur à Doctis pro rapsodia
quadam ex variis Scriptoribus & Conciliis facta sub
autoritate & nomine Apostolorum. Quia de re in
Exercitat. mea ad Concilium Nicanum Sect. 1. pluribus egi.
2. Hic ipse Canon se variis indicis prodit, quod sit sup-
positius & ab Apostolorum temporibus multum
alienus.

Nam I. distingvit inter Episcopum & Presbyterum.
Illud discrimen tempore Apostolorum non fuit, sed de-
muni postea originem habuit, quod jam olim Hiero-
nymus docuit peculiari Epistola, pro qua integrum
tractatum scripsit Dav. Blondellus.

II. Distinctus inter θεολόγων à feris captum, & inter
Επισκόπου morticinum. Ipse Grotius miratur, quod
Επισκόπου additur in Apostolico Canone, & quod Justi-
nus

28737
1697

ταῦτα καὶ αὐτὰ interpretatur ὥπερ οἱ νεκρομάρτυρες, τούτοις ex
Deut. 14, 21. planum sit, pio circumcisio licuisse edere
נְבָלָת, qvod LXX. vertunt θυσιαῖον, estque idem cum
νεκρομάρτυρες. Unde Aristophanis Scholiares θυσιαῖα in-
terpretatur νεκρομάρτυρες. Et profecto obscura est ista dispo-
sitio, multumque recedit ab Hierosolymitana Aposto-
lorum. Si absolutè vetitum est edere carnem in sanguine,
hoc est carnem adhuc sanguinem intravasatum haben-
tem, quæ est πίκτη, unde & colligitur, non licere ede-
re sanguinem, ut vocant, extravasatum; quid opus
fuit addere ἡ θεραπεία τὸν θυσιαῖον sive νεκρομάρτυρες, si per
θεραπείαν & νεκρομάρτυρες intelliguntur ea morticina, quibus
adhæret non deductus sanguis? πίκτην est, sive homo
suffocaverit, sive bestia; sive ex alio casu impedita sit
deductio sanguinis. Itaque θυσιαῖον, νεκρομάρτυρες & θερα-
πεία τὸν θυσιαῖον non distingvuntur, quia omnia in
eo conveniunt, qvod iis deductus adhæreat sanguis.
Impertinenter igitur cumulantur κρέας ἐν αἷματι, ἡ θερα-
πεία τὸν θυσιαῖον. Si vero κρέας ἐν αἷματι vetitum intel-
ligendum quatenus vel est θεραπεία τὸν θυσιαῖον, vel νεκρομάρτυρες, tunc
erit licitum carnem in sanguine edere extra istos duos
casus, scil. si sit neque θεραπεία τὸν θυσιαῖον, neque νεκρομάρτυρες. Jam
νεκρομάρτυρες morticinum non recte dicitur id, qvod ab ho-
mione suffocatum est aut artificiosa ratione quadam in
laqueum inductum. Neque tamen hoc est θεραπεία τὸν θυσιαῖον.
Hoc igitur licebit comedere. Athoc est reverā πίκτην.
Liceret ergo, si hic Canon Apostolicus est, aliquod
πίκτην comedere, modo non sit aut θεραπεία τὸν θυσιαῖον, aut
νεκρομάρτυρες. Sed hoc non vult decretum Apostolicum,
Acto. 15.

III. Suspectū se quoq; reddit Canon, qvod cum definit,
qua poena sit afficiendus, qui κρέας ἐν αἷματι, sive θεραπεία τὸν θυσιαῖον
sive νεκρομάρτυρες comedit, in ordine Ecclesiastico positos,

C 2

Episco-

Episcopos, Presbyteros & Diaconos qvidem vult per
 $\pi\alpha\theta\alpha\gamma\epsilon\sigma\tau\eta$ puniri, Laicos verò per $\alpha\theta\alpha\gamma\epsilon\mu\eta\sigma$. Nescit etas
 Apostolica illud pœnarum Ecclesiasticarum discriminem.
 Mentionem $\pi\alpha\theta\alpha\gamma\epsilon\sigma\tau\eta$ facit S. Paulus 2. Cor. 10, 4. 8. & c. 13,
 v. 10. nullibi verò significat pœnam aliquam Ecclesiasticam,
 Episcopis, Presbyteris aut Diaconis carne vescen-
 tibus, cui non est deductus sanguis, infligendam.. Ver-
 bum $\pi\alpha\theta\alpha\gamma\epsilon\eta$ destruere est, 2. Cor. 10, 4. Acto. 13, 19. c. 19,
 v. 27. Luc. 12, 18. Alias & est removere, Luc. 1, 52. remo-
 vit potentes de throno. Notat detrahere, cum de Christo
 è cruce tollendo usurpatur Marc. 15, 36. & 46. Luc. 23, 33.
 Acto. 13, 29. $\alpha\theta\alpha\gamma\epsilon\mu\eta\sigma$ notat in sacr. liter. Nov. Testam.
 separare, excludere, Matth. 25, 32. de separatione bono-
 rum à malis in extremo judicio. Conf. c. 13, 49. Act. 19, 9.
 de separatione, qua S. Paulus suos discipulos segregavit
 à Synagogæ consortio & seorsim in Schola Tyranni in-
 stituit. Acto. 13, 2. de separatione Pauli & Barnabæ ad
 excusum Evangelicum.. Nec multo aliter Gal. 1, 15.
 Rom. 1, 1. 2. Cor. 6, 17. de segregatione à consortio in-
 fidelium. Luc. 6, 22. $\alpha\theta\alpha\gamma\epsilon\mu\eta\sigma$ pœna dicitur, de qua ad
 illum versiculum Grotius multa. Et ad locum Joh. 12, 42.
 Seldenus. Sed hoc ex Judaica Synagoga oriundum est,
 non ex Ecclesiæ disciplina. Qapropter in Apostolo-
 rum qvidem constitutione aliqua tale discriminem vix ob-
 tinet locum. Certè si aliquod discriminem etiam in Eccle-
 sia inter $\pi\alpha\theta\alpha\gamma\epsilon\sigma\tau\eta$ & $\alpha\theta\alpha\gamma\epsilon\mu\eta\sigma$ fuit, recentius fuit, &
 multum ab Apostolicis temporibus abest.

IV. Canoni inserta ratio ipsum suspectum facit. Ait:
 Hoc enim lex prohibuit. Non hic dicimus, quod
 Canoni illa allegatio imprudenter videri possit inserta-
 esse post denominatam Ecclesiasticis pœnam, si se ex il-
 lis quispiam sanguinis esu contaminaverit. Cur enim
 non

2875
1699

non etiam interdictio Laicis facto illa allegatio apponitur, si & illis lex prohibuit. Sin minus; cur ~~a deo natus~~ Laicis imponitur? Id tantum subit mirari, cur ad legem provocet Canon, si Apostolicus est, & non potius ad definitionem Hierosolymitanam se referat. Nam ut per ~~volum~~ illam constitutionem Apostolicam Acto. 15 intelligamus, non solum dissuadet communis loquendi ratio, quia per ~~volum~~ lex Mosaica plerumque intelligitur, sed etiam ipsa proponendi ratio. Qvomodo enim si Apostoli hanc Canonem 62: condidissent, non provocassent ad id decretum, qvod Hierosolymis circa legis observantiam propositum fuit. Certe enim de lege Mosis qvoad ista ceremonialia controversia fuit in Ecclesia. Itaque non conclusuri fuissent ita crudè Apostoli: *Carnis in sanguine esum Lex prohibuit.* E. Episcopi, Presbyteri, Diaconi, Laici illud sub poena sive *καθηστως*, sive *αφορσις* vitare debent. Illico enim totus apparatus legis ceremonialis in Ecclesiam introductus esset.

V. Laici nomen in contradistinctione ad Episcopos, Presbyteros & Diaconos suspectum est. Certe temporibus Apostolorum usitatum fuisse, è sacr. literis demonstrari non potest. Tempore autem Cypriani datum Laici nomen in usum deductum est. Videatur ejus Epist. 52. ad Antonianum fratrem de Cornelio & Novatiano, ubi Num. 37. Trophinum ut Laicum communicare debere mandat. Ad quem locum Jacobi Pameli Brugensis contra Bellarminum observanda est annotatione. Hic enim scil. Cardinalis Bellarminus communione Laicam de Communione sub una interpretatur. Pamelius autem de Communione, quæ siebat extra

G 3 cancel-

cancellos, intra quos Ecclesiaz ministri subsistebant.
Tempore Apostolorum Clerus seu Cleri fuerunt tota
Ecclesia, ex loco i. Pet. 5,3. Conf. Actor. 26,18. & Col. 1.
v. 12. In Canone autem hoc Apostolorum expressa fit
Laicorum mentio, qui Episcopis, Presbyteris & Diacono-
mis contradistinguntur.


Si denique objicitur Canon Synodi Gangrensis,
qua seculo quarto paulò post Concilium Nicænum à
XX. Patribus Gangræ in Paphlagonia contra Eustathium
Sebastenum Armeniorum Episcopum celebrata est:
Resp. 1. Eam Synodum provinciale esse, non Oecume-
nicam. 2. Eam quidem esse approbatam in Oecumenica,
scil. Constantinopolitana, quæ in Trullo habita & sexta
Generalis dicitur, non tamen propterea infallibilis
autoritatis esse. 3. Dici à nobis posse, quod Gratianus
in Decreto dist. 28. cap. si quis discernit ad objectum ali-
quod Capitulum ex Concilio Gangrensi dixit: *Notan-
dum est, quod secundum Isidorum pleraque capitula
ex causa, ex loco, ex tempore, ex persona conside-
randa sunt.* Hinc etiam Gregorius ait: *Regula S.
Patrum pro tempore, loco, persona & negotio in-
stante necessitate traditæ sunt.* 4. Canonem Gan-
grensem non dicere anathema illi, qui sanguinem, suf-
focatum & idolothyrum comedit, sed ei qui omnem
spem salutis adimit vel semel carnem comedentibus,
quomodo Eustathium docuisse commemorat Nicepho-
rus Callistus Xanthopoulos *Eccles. Histor. IX. 16.* 5. Patres
Gangrenses sanguinis & suffocati abstinentiæ etiam ap-
ponere idolothytorum. Et tamen ex Paulinis Epistolis
mani-

2877.
1701

manifestum est , extra casum metuendi scandalū pos-
tuisse Christianos ē gentilibus idolothyti vesci. Non
autem ulterius potuerunt obligare Patres Gangrenses ,
qvam Apostolus. Neqve ergo sangvinis & suffocati in-
terdictum ab ipsis repetitum ulterius obligat. 6. Patres
Gangrenses , licet censuerint , in Oriente propter Ju-
dæos , Gentiles & Hæreticos diversos atqve adeò scan-
dali avertendi causa , continuari debere longius præ-
ceptum Apostolicum de abstinentia à sangvine , idolo-
thyto & suffocato , non tamen indicare , qvod illa per-
petuari debeat. Utimur ergo nunc ex libertate , qva
extra formidinem scandali uti possumus.

Sic adversus Grotium.








Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn729960498/phys_0027](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729960498/phys_0027)

DFG





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn729960498/phys_0029](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729960498/phys_0029)

DFG



G E N T I L I V M.

cumstantiae, quas Livius literis consigna.
Latino, Decio Patri & T. Manlio, in quiete
in visam esse viri maioris quam pro humano
orisque dicentis: *Ex una acie imperatorem,*
itum Diis manibus, Matrique terrae deberi:
ius Imperator legiones hostium superque eas
ius populi partisque victoriam fore. Ipsum
um, quo se devovere, carmen durat, iudice
so exemplo. Quae carmina a Livio prolixo
i ipsum etiam actum verbis hisce gravissimis
inctus cinctu Gabino armatus in equum insi-
edios hostes immisit. Conspectus ab utraque
augustior humano visu, sicut coelo missus, pia-
eorum irae, qui pestem a suis aversam in ho-
Quamvis autem apud Romanos Anno Virbis
. Cornelio Lentulo, P. Licinio Crasso Coss.
tum factum sit, ne homo immolaretur, utque
sa palam in illud tempus celebrata tolleren-
re maximopere gloriatur Plinius: *Non sa-*
test, inquiens, quantum Romanis debeatur, qui
ra, in quibus hominem occidere religiosissimum
men est gloriatio, cum barbara haec sacrificia
pora minime cessaverint. Violavit enim hoc
tum Caesar Dictator, cuius iussu viri duo in
a Pontificibus & Salio, velut in sacrificio, eis
epryias, sicuti Dio ait, iugulati immolatique Dio lib. 43.
uin etiam diu post Christi adventum in urbe p. 226.
orrenda sacrificia viguisse, patet (ut Tertul-
nucium Felicem, qui de suis temporibus id Gnost. c. 7.
teream) ex Lactantio & Porphyrio, quem Por- Min. Fel. in
bius, qui alias victimas humanas post Christi ocl. p. m. 34.
n amplius mactatas, sed hoc genus sacrificii
abolit-

1737